


**Programma a Decano Reliquisque Theologicae in Academia Rostochiensi  
Facultatis, Professoribus, In Funere ... Dn. Johannis Affelmanni, SS. Theologiae  
Doctoris, & Professoris Eximii, Collegae sui desideratissimi, Propositum**

Rostochi[i]: Pedanus, 1624

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746968280>

Druck Freier  Zugang






...lac  
...um  
...gensis  
...n.




*Pl. 241. (1.)*











PROGRAMMA

à  
DECANO

Reliquisque Theologicæ in  
Academiâ ROSTOCHIENSI Fa-  
cultatis, Professoribus,

IN FUNERE

Reverendi, Clarissimi & Excellentissimi

VIRI,

DN.

JOHANNIS

AFFELMANNI,

S. S. Theologiæ Doctoris, & Professoris  
Eximij, Collegæ sui desideratissimi,

*Propositum.*



ROSTOCHI

Typis JOACHIMI PEDANI, Acad. Typ.

ANNO M, DC, XXIV,

720





Fferetur hodiè funus, terraq;  
veteri & prioritù exuvia JO-  
HANNIS AFFEL-  
MANNI, at quanti Viri!  
mandabuntur. O! Vulnus  
grave, quod viro hoc sublato  
non nostra saltem Schola, sed  
toti Ecclesia orthodoxa inflictum! amisit schola hæc  
& Universitas nostra Professore[m] Eximium, He-  
sperum Clarissimum: amisit Ecclesia sincera do-  
ctrina propugnatores egregios, falsa expugno-  
res strenuos. O magnam Jehovah iram, ò vehe-  
mentem ejus in nos indignationem! Spera veramus  
immortalitate dignum ingenium, ad longam super-  
victurum etatem, at nunc dum floret, & multos no-  
bis adhuc promittit annos, in ipsâ ac me, illud è me-  
dio tolli cernimus. Comminatus es ò Deus per Pro-  
phetam, te & hac populum tuum peccantem pœnâ  
prosecuturum, quod auferre velis Prophetas & se-  
nes, non illos, quos etas & canities tantum tales fa-  
cit, non qui tales solùm sunt τῶν πλῆθὸς τῶν ἑταῶν, ἀλλὰ τῆ  
φύσιν αὐτῶν ἐπιμελείαις. Experimur hanc pœnam, quan-  
do

57



do illo privamur viro, in quo mature, senile judi-  
cium, senilas rerum cognitio, senilis scientia, que  
cum etate creverant, cernebatur. Et quis aliud sibi  
ab hoc, quem natura ad magna finxerat, quam quod  
res ipsa post docuit, promittere potuit? Non in eo su-  
mus, ut horum, quos hic Noster Parentes & Majo-  
res habuit, commendatione occupemur. Nihil dici-  
mus de Patre ipsius HENRICO von Affeln/ Urbis Susa-  
tensis, in qua Noster hic Anno Christi 1588. natus,  
Senatore, dum viveret, Prudentissimo & Spectatis-  
simo. Nihil dicimus de matre Nostri AFFELMANNI,  
ANNA MICHAELIS omnibus matronalium vir-  
tutum ornamentis conspicua Femina: Nihil de  
Avo materno Dn. SIMONE MICHAELIS Reipublice  
Susatensis Consule olim Amplissimo: Nihil de A-  
vunculo D. THOMA MICHAELIS, Nihil de Cognato  
D. THOMA Merckelbach Consultis Exi-  
mijs, supremi in Imperio Romano Judicij Spira  
quondam Assessoribus Nobilissimis: Nihil de alijs  
consanguineis & Propinquis excellentissimis, D.  
GOSVINO Merckelbach/ Reverendissimo ac Illu-  
strissimo Principi ac Domino, Dn. CHRISTIANO,  
Electo Episcopo Mindensi, Duci Brunsvvicensi &  
Lunaburgensi à Consilij Secretioribus; D. CASPARO  
Klock inclyte Reipubl. Brunsvvicensis Consiliario  
primario; D. GERLACO BuxTORE Reipubl. Bremen-  
A 2 sis



sis Syndico eminentissimo; D. HENRICO Kloet Ca-  
mera Imperialis Advocato, & aliquot Principum  
Consiliario spectatissimo: Nihil de Majoribus, A-  
vis, Proavis, quos omnes laudatissimæ Susatensis  
Reipub. Consules & Senatores habuit Prudentissi-  
mos. Quorum ad laudes & merita recensenda, &  
penna requiritur hac nostrâ elegantior, & pagina,  
quam res, quam sub manibus habemus, admittit,  
plures. Hisce ex Parentibus & majoribus Nato  
AFFELMANNO natura quidem ingenij,  
virtutis, honestatis accenderat igniculos; Verum  
cum in complurimis hosce extinguere cernamus, nisi  
institutione rectâ ceu flabro suscitentur & fovean-  
tur; nec hic Parentes Filio suo defuerunt, sed eum  
indole præclarâ præditum, quamprimum per ætatem  
fieri potuit, ingenij & morum cultoribus in Patriâ  
excolendum commiserunt, Hic talem cum se ges-  
sisset, qui condiscipulis industriæ, obedientiæ exem-  
plum proponeretur; Inde ipsum, ad Tremoniensem  
Scholam, quæ tñ inter Scholas Westphalicas, propter  
Beurhusij & Schasmanni, in eâ docentium, erudi-  
tionem & diligentiam maximè celebris erat, mise-  
runt. In trivialibus his, cum primum tyrocinium  
celeriter, ut erat ingenij felicis & memoriæ tenacis,  
anno ætatis decimo quinto, Christi 1603, absolvisset,  
ac linguarum & pietatis fundamenta jecisset, non  
hic



hic sibi subsistendum, sed ulterius progrediendum esse putavit. ac de Parentum consilio ad Academiam Marpurgensem se contulit; ad quam cum adferret illam linguarum & artium cognitionem, qua in ijs requiritur, qui in Academijs cum fructu versari volunt: non se, quod pro dolor nimis quam multis, qui titulo se studiosos mentiuntur, frequens est, vel ignavia tradebat, vel tabernas visitabat vinarias, sed ne illotis, quod dici solet, manibus ad studia graviora Theologica accederet, Philosophia porrò studijs se tradidit. Post ad Theologiam accessit, Clarissimis & Excellentissimis Viris ad eam usus hodiegi, Dn. D. JOHANNES WINKELMANNO, in cujus convivio & contubernio vivebat, & Dn. D. BALTHASARE MENTZERO Theologis celeberrimis. Quos propter Calvinismum Marpurgi introductum, Gieffam concedentes, anno 1605. secutus, nec ab horum fideli informatione se avelli passus est. Pependit ab horum ore Discipulus annos propemodum quinq; eosq; sub his Doctoribus, quos per omnem vitam tales commēdavit, in Theologia fecit progressus, ut cum nostram hanc ingrederetur anno 1607. Academiam in sequenti 1609. dignus fuerit habitus, qui in locum Reverendi, Clarissimi, Excellentissimi senis D. LUCE BACMEISTERI, ab Amplissimo hujus Urbis Senatu, inter suos Professores



Theologus cooptaretur. *Miraris Lector AFFEL-*  
*MANNO, tum adhuc Tuveni qui annum agebat vige-*  
*simum primum, quo ipso & summos in Theologia*  
*honores consecutus est, arduam hanc provinciam*  
*commendari potuisse. Mirari desines, si quode-*  
*ventus docuit, illum eam, & cum laude sustinuisse*  
*& cum multorum admiratione ornasse considera-*  
*veris. Vos appellamus Theologiae studiosos, vos te-*  
*stes laudamus, vos AFFELMANNUM, propter eruditio-*  
*nem summam, in oculis tulistis: Vos ejus in docendo*  
*dexteritatem, in disputando acumen, in dicendo ele-*  
*gantiam admirati estis. Vos quando velex Psalmis*  
*Davidicis, vel ex Prophetis, velex Genesi, vel ex*  
*Epistola ad Hebraeos, quaedam explicabat, vel Apo-*  
*calypsin publicè interpretabatur, vel Bellarminum,*  
*quod facere ceperat, refutabat, vel Disputationes de*  
*rebus gravissimis habebat creberrimas, magno ad il-*  
*lum audiendum confluebatis numero, verba a vidis*  
*auribus & animis accipiebatis. Nec vos saltem, sed*  
*candide judicantes quosvis compellamus; dicite*  
*quid non in hoc viro fuerit singulare, quid non exi-*  
*mium. Sensisti Lampadi; Sensistis Jesuita Pader-*  
*bornenses Viri hujus acumen: quando contra te*  
*Christi Hominis majestatem propugnavit. Quando*  
*Vos inter Deum & emortuos sanctos adorationis*  
*cultum partientes, eum soli Deo masculè vindicavit.*  
*Nec tu Croci, ut audimus, sine responso abijisses, si*  
*Deus*




Deus vitam ipsi ulteriorem indulisset. Vos, inquam  
appellamus, Agite, si cum vero potestis, ingenij acu-  
men, eruditionis laudem huic Viro denegate. Quin  
quod & pro concione populum docendi dona in AF-  
FELMANNO fuerint nō vulgaria nemo est qui ignoret,  
quod cum aliquoties magno cum applausu fecisset,  
non solum Amplissimus huius Urbis Senatus permo-  
tus, ut ei functionem Ecclesiasticam offerret quam  
tamen suo usus Consilio non acceptavit: sed & ea fa-  
ma Illustrissimus ac Celsissimus Princeps Megapoli-  
tanus, Dominus ADOLPHUS FRIDERICUS, Dominus  
noster clementissimus excitatus, cum Anno 1619. ad  
se SVverinum vocatum audiuit, & muneribus cle-  
menter affecit. Fecere hæc & alia quæ in AFFELMAN-  
NO erant eximia, ut non solum plurimis in hac Aca-  
demia, civitate, ditione charus esset, sed & exteris  
quam multis familiariter innotuerit, cum plerisq;  
Theologis celeberrimis, quod crebra per literas com-  
mercia testantur, amicitiam coluerit. Nos qui il-  
lum Collegam habuimus sva visissimum, si votis locus  
esset, diu enim nobiscum, Deo, Ecclesia & Acade-  
mia inservire, & splendore eruditionis ad Exteros  
famam diffundere, locos communes Theologicos, in  
Apocalypsin commentaria, Chronologicas observa-  
tiones, quæ typis ipsam destinasse intelleximus vul-  
garè potuisse optaremus. At ô quam immaturè au-  
reus ingenij tui sol AFFELMANNE Collega desideratis-  
sime




sime occidit, quam studiosis incommode, quam con-  
jugi nunc vidua mulieri lectissima, Amplissimi a-  
pud nos Consulis Dn. JOHANNIS CORFINII Filiae;  
quam vitrico tuo, qui Te ceu Filium ex se natum di-  
lexit, quemq; tu non minùs ac si ab illo natus esses ve-  
nerabaris, Viro Prudentissimo & Doctissimo Dn.  
BERTRAMO Meyburg Senatori Susatensi prudentis-  
simo: quàm Matri carissima, Matrona honestissi-  
ma, quàm Fratri tuo Dn. ANTONIO AFFELMANNO  
Themidos Cultori industrio, Juris Candidato di-  
guissimo, luctuosè. Sed nimirum Vos juxta nobi-  
scum, in Jehova voluntate acquiescere oportet, qui  
Te AFFELMANNE, quando ipsi visum est, nobis adi-  
mere & Rebus humanis eximere voluit. Non Tibi  
statuam, nos ob merita tua in rempub: literariam  
eximia erigimus. ere perennius monumentum, Tibi  
ipsi eruditionis & acuminis excellentia, & Scripto-  
rum Doctissimorum publicatione posuisti. Cine-  
restui molliter cubent ad diem usq; restorationis  
omnium, quo Te voce sua redivivum in gaudium  
suum revocabit & collocabit Judex universa carnis.  
Vos omnes ac singuli Academia Civis, Docentes,  
Discentes, ad horam mediam primam hodiernam  
in templo Divi Jacobi convenietis, Collegam &  
Præceptorem ad dormitorium comitabimini, &  
frequenti vestrà presentia, quam ille vobis vivus  
charus fuerit demonstrabit. P.P. sub sigillo Facul-  
tatis Theologicae 3. Martij Anno 1624.
























the scale towards document

dum, sed ulterius progrediendum est.  
Parentum consilio ad Academiam  
se contulit; ad quam cum adferret  
artium cognitionem, qua in  
ui in Academijs cum fructu versari  
quod pro dolor nimis quam multis,  
iosos mentiuntur, frequens est, vel  
at, vel tabernas visitabat vinarias,  
od dici solet, manibus ad studia gra-  
a accederet, Philosophiæ porrò studijs  
ost ad Theologiam accessit, Clarissi-  
ntissimis Viris ad eam usus hodegis,  
NNE WINKELMANNO, in cuius con-  
bernio vivebat, & Dn. D. BALTHA-  
ZERO Theologis celeberrimis. Quos  
nismum Marpurgi introductum,  
dentes, anno 1605. secutus, nec ab ho-  
ormatione se avelli passus est. Pe-  
m ore Discipulus annos propemo-  
eosq; sub his Doctoribus, quos per-  
tales commēdavit, in Theologia fecit  
um nostram hanc ingrederetur anno  
niam in sequenti 1609. dignus fuerit  
locum Reverendi, Clarissimi, Excel-  
D. LUCE BACMEISTERI, ab Am-  
Arbis Senatu, inter suos Professores  
A 3 Theo-